

05

A

439





DISSERTATIO
DE CALENDARI
EMENDATIONE

HABITA
IN PUBLICA RENUNCIATIONE
XXXI MAGISTRORUM
Philosophia, d. 23. Martij

ANNO CHRISTIANO

M. DC. XIII.

M. ERASMO SCHMIDT
Græco Professore VVitte-
bergæ.

E Typographeo
JOHANNIS GORMANNI.

DISSERTATIO
DE CAUSIS
EMENDATIONE
IN PABLO RENOVATA



Mr. F. Schmidt
05 A 439
Georg. V. V. V.

JOHANNES LOMMAYNE
Typographus





τω θεω.



Uum in actu hoc solenni, & corona splendidissima, verba mihi facienda esse, officij ratio me admoneret: non fuit mihi difficile, materiam huic temporis non inconvenientem eligere: quippe quum ipsum tempus quasi in manus tradere videretur. Ad quam etiam citra prolixas ambages statim accedam. Sunt hi praesentes dies Martij, vigesimus tertius hodiernus, & vigesimus quartus crastinus, illi ipsi dies, in quos Caij Iulij Caesaris, primi Romanorum Imperatoris, annique formae, qua jam ultra mille sexcentos annos, per maximam partem Asiae & Africae, & totam Europam utimur, primi Autoris; adeoque Domini ac Salvatoris nostri Iesu Christi in humilitatis statu in terris versati temporibus, Aequinoctium vernum incidit. In quibus ipsis diebus si aequinoctium vernum, hoc est, ingressus Solis in principium Arietis, posterioribus seculis mansisset: sanè non esset, quod in anni Iuliani ratione ullus hominum desiderare posset. At enim vero usus rerum magister nos convincit, ingressum Solis in principium Arietis, hoc est, absolutionem annui spacij, successu temporis, non in modò dictis diebus, vigesimo tertio & vigesimo quarto Martij mansisse, sed in praecedentes subinde dies retrò celsisse, ut hodie in decimum vel undecimum Martij cadat, adeoque inde usque à constitutione Iuliana & tempore Christi, tredecim prope dies

A 2

super.

superflui ultra veram anni rationem exereverint. **Qvi**
excessus temporis, proximis seculis, quibus magis atq̄ve
magis crecere videbatur, disputari cœpit, quando de re-
formatione ac correctione deliberationes passim fuerunt
institutz. Quibus colophonem imposuisse Gregorius
XIII. Papa, anno ab hinc trigesimo & uno sibi visus fuit.
De qua reformatione anni Iuliani, quum recte informa-
tos nos esse conveniat; & ejusmodi merx, bonarum Ar-
tium, imò quarumcunque Facultatum Studio Mercat-
tori, nullibi tutius quàm in Academia quaerenda videat-
ur; nec admodum magnæ laudis sit, triennium vel qua-
driennium in Academia versatum, hac de re judicium
suum non informasse; & fortassis fieri possit, ut de hoc ar-
gumento disputationum plusquam satis in Imperio Ro-
mano brevi simus auditoris: ideo paucis jam aliquid pro-
feram. **Qvæ** reformationis hujus causa: quæ deliberatio-
nes præcesserint: qui progressus fuerint: quomodo susce-
pta, tandemq; orbi Christiano obrusa: & quare à Prote-
stantibus Statibus non sit recepta, quum tamen inconve-
nientias veteris formæ sustulisse, plenis buccis deprædica-
ta fuerit. **Qvæ** non ideo dicam, ut adversarios hodie-
nos aut crastinos mihi proritem: sed ut juventutem ad-
hand dubiè brevè in Romano Imperio futuras disputationes
meo etiam loco præparem. Vos interim omnium
ordinum Auditores, ut corporibus præsentis estis; ita &
Animis faventibus auscultate. Dabo operam, ne au-
diendi patientiæ ad horulam vos poenitere jure debeat.
Anni forma quàm multiplex & diversa apud diver-
sas gentes, imò & apud easdem diversis temporibus fue-
rit, si ostendere vellem; nã, tempus huic sermoni præsti-
tutum me desiceret: nec recenseri etiam singulatim, ma-
gnopere refert. Omisissis ergo jam reliquis, Romano non
salcem.

ultrem Anni rationem retexemus, & per eam ad propo-
situm scopum, viam nobis faciemus.

Romulus igitur Romæ conditor, quū novā Remp.
constituere in animo haberet, Anni etiā rationem civib.
suis præscribere, ad exemplū aliarū gentium, necesse exi-
stimavit. Quia verò motuum cœlestium ignarus, arbitrij
Principum objectum hoc esse putavit: pro arbitrio etiam
proprio anni hanc formam formavit, parum curans, mo-
tibusne cœlestibus, qui Temporū propria mensura sunt,
conveniat, nec ne; modò ut apud militum cohortes in a-
cie: ita & apud cives in anni-ratione obedientiam obti-
neret. Quumq; in acie militari primū Hastatorum, de-
inde Principum seu Antepilanorum, tertio Pilanorū seu
Triariorum ^{si x} ad denariam dispositionem collocare,
consuevisset: idem sibi in Anni-ratione licitum esse præ-
sumpsit. Itaq; & hęc denarium numerum observavit, &
decem anni menses constituit, quorum sex diebus trice-
nis; quatuor verò tricenis & singulis constarent; atq;ve
ita totus annus trecentorum & quatuor tantū dierum 304
spacio definitus ab ipso fuit, & proinde sexaginta & uno
diebus citiùs, terminum attingit, quàm Sol periodum ab-
solvisset. Unde & venit, ut propter horum sexaginta &
unius dierum, hoc est, duorum Mensium defectum, nec
æstivi nec hyberni Menses, perpetui vel fixi essent; sed
quolibet triennio, æstivi menses fierent hyberni: & con-
tra hyberni, æstivorum spacium occuparent; interme-
dij autem miris modis cum reliquis variarent. Ad eò
crassè nimirum, rei sideralis imperius, homo ille mili-
taris, in rei veritatem & ipsam naturam impegit. Scilicet
arma magis quàm sidera Romule noras. Quia verò
statim, vivente adhuc Romulo, hæc anni ratio neque
Solis neque Lunæ cursui congruere deprehendebatur:

occurfuri huic incommodo Romani cives, tantum die-
rum numerum, quantum adhuc Solis periodus defide-
rabat, post decem menses Romuleos exactos, sine no-
mine peculiaris mensis, elabi sinebant, usqvedum so-
lem ad principia rediisse æstimarent. Isqve mos, quam-
diu Romulus in vivis habitus fuit, mansit.

At succedens huic Numa Pompilius, & decem men-
ses, (hujusquidem quantitatis) annuo spacio justo non
sufficere animadvertens; & ἀνώμαλον tot dierum appendi-
cem ad finem denorum Mensium, Reipubl. suæ vel mi-
nùs commodam, vel non satis honorificam, vel utroqve
etiam nomine eâ indignam æstimans, daos adhuc men-
ses prioribus decem Romuleis adjecit, ut eo tempore an-
nus trecentorum quingvagina quatuor dierum esset, &
intercalatione Epactarum (seu residuorum dierum, ad so-
larem rationem reduceretur, ad exemplum Græcorum
& Iudæorum, qui Lunaribus tum Mensibus utebantur.

354
Neqve recusarunt finitimi populi, totidem dies ac
menses cum Numa Pompilio assumere, quum viderent
hanc rationem, ad Græcorum, quorum sapientia tum
in admiratione erat omnium, cyclos, quos Astrorum pe-
riti artificiose illis determinaverant, congruere. Ve-
rùm mox ipse Pompilius huic rationi turbas dedit. Quum
enim ex superstitione singulis Mensibus, præterquam Fe-
bruatio (quem Dijs Inferis dicatum, & propterea pari
numero donandum judicabat, Imparem dierum nume-
rum Anno assignatum vellet, & propterea ad trecentos
quingvagina quatuor dies, unum adhuc, cœlesti ratione
neglecta, assumeret, & nihilominus Græcorum interca-
landi ratione uti vellet: fiebat, ut viginti quatuor annis,
totidem dies abundarent, & proinde ejiciendi venirent.
Quod quomodo fecerint Romani, ex Livio & Macrobio
osten-

ostendi posset, si tempus ferret. Interim dies abundan-
tes ultra Lunarem rationem, quotcunqve sanè anni con-
ditio offerret, quotlibet biennio exacto, post vigesimum
tertium Februarij, Terminalibus jam peractis, ante vige-
simum quartum Februarij, sive sextum Calendas Mar-
tij, qui hodie in Fastis Ecclesiasticis Matthiæ nomen ha-
bet, intercalarunt, & intercalatis illis diebus, modò vi-
ginti duobus, modò viginti tribus, modò sedecim, mo-
dò septendecim, prout Cyclica ratio ferebat, tanquam
peculiari Mensi, nomen etiam peculiare indiderunt,
vocaruntqve Mercedinum vel Mercedonium, ut habet
unicus quem scio, Plutarchus in Numa & Julio Casare.
Mirum sanè, Romanos, aliàs plusquam accuratos rerum
suarum scriptores, hoc planè tacuisse, & posteritatis me-
moriæ literis suis non tradidisse. Quod nisi homo Græ-
cus nobis conservasset, planè ignoraremus. Sed scire,
tamen non incommodum est, quandoquidem Julij Cæ-
saris consilium, quare diem intercalarem, intra 23. &
24. Februarij collocatum voluerit, nobis declarat. Quia
scilicet Intercalationis quamvis novæ, terminum tamen
antiquum temerè translocare noluit. Tamen si res an-
tiquitus superstitione non caruit. Hoc autem modo pu-
tabant Romani, annum suum periodo Græcorum quam
proximè convenire.

Et sanè hanc anni formam à Pompilio aut Ore, usqve
ad Caij Julij Casaris reformationem, per sexcentos sexa-
ginta quinque annos, Romani ferè retinuerunt. Et po-
tuisset sanè hæc ratio diutius ferri, nisi Pontifices qui Fa-
stis præerant, & penes quos, instituto magis religioso im-
mò superstitioso, quam fructuoso, cura dies *ὕπερβαύστας*
colligendi & intercalandi erat, partim ex terulis digna
inscirta, partim ex fustibus dedolanda negligentia, par-
tim.

tim & præcipuè verò ex consueta ambitione, avaritia & malitia, intercalandi rationem nunc omisissent, nunc decurrassent, nunc prolongassent, nunc alia ratione turbassent, atque ita annum non ad nutum choragi coelestis, sed pro sua libidine populo præscripissent.

Fiebat enim non planè nunquam, ut si quis Proconsul optimæ Provinciæ præficeret, & proinde ægrè ex ea cederet; Pontifices pecunia corrumperet, ut annum intercalando sibi prorogarent: Contrà, si quis duriorẽ provinciam sustineret, aut aliis de causis liberationem affectaret; Annum sibi abbreviari Pontifices rogaret. Quod quidem illi homines, tum quia indocti, tum quia avari, facillè impetrari patiebantur. Inde autem latissima erroribus à vera ratione patuit via, factumque est, ut Romanorum annus Pontificum scelere in pessimam irregularitatem degeneravit.

Hoc, & Imperio & Populo Romano indignum ratus Cajus Iulius Cæsar, heros Marte & arte insignis, quum Fascibus jam esset potitus; etiam Fastos in ordinem redactos voluit. Itaque anno ab urbe condita septingentesimo octavo, ante natum Christum quadragesimo tertio, ante Epocham verò Christianam quadragesimo quinto, anno Mundi termillesimo nongentesimo quinto Quinto Fabio Maximo, & Cajo Treboniano Consulibus, emendatam anni rationem promulgavit & introduxit, opera Sosigenis insignis Astronomi, quem hoc sine Romam secum ex schola Alexandrina adduxerat. Quia anni ratione hodieque utimur, ut non opus sit eam hic prolixè explicare, quippe omnibus notissimam. Quia verò Pontificum scelere, annus mirè & miserè turbatus fuerat: ideo anno præcedente, ab Urbe condita septingentesimo septimo, omnes anomalias tollere Iulius voluit;

voluit; & proinde omnes dies, qui confusionem adhuc
facere poterant, simul & semel consumpsit, ita ut annus
ille ab Urbe cōdita sepringentesimus septimus, quadrin-
gentorum quadraginta quatuor dierum, atque ita quin-
decim mensium spacio necessariò definiendus esset, &
hac ratione Pontificum insulsæ & malitiosæ turbationes
tollendæ venirent. Quam ob causam & annus ille, Con-
fusionis annus appellatus fuit. Fecit autem Iulius an-
num suum ad motum Solis, trecentorum sexaginta
quinque dierum cum sex horis, quas quarto quoque an-
no completo, qui Bisextilis vocatur, pro uno die com-
putari instituit, ut adhuc hodie in usu est.

Etsi autem satis prudenter omnia hæc à Iulio fue-
runt instituta: magnum tamen denuò errorem injecit
Pontificum *ἀμαθία* & ruditas. Quum enim intercala-
re debuissent anno quarto completo, sex horis superfluis
quater collectis, & jam diem integrum naturalem adæ-
quantibus: intercalabant illi confusionis autores, tribus
tantum annis completis in initio quarti, sex illis horis
tantum ter collectis, octodecim horas pro uno die insul-
sissimè computantes.

O fustibus & flagris castigandam Pontificum rudita-
tem. Usque ad eò sinistrè & infeliciter res administran-
tur, quando vel tractandarum illarum imperitis com-
mittuntur: vel ipse aliquis non satis idoneus, ultra cre-
pidam suam, quippiam sibi arrogat.

Neque verò statim fuit hic error animadversus,
quandoquidem Iulius statim secundo anno reformatio-
nis suæ interfectus fuerat, antequam primus annus Bi-
sextilis ageretur, qui aliàs, si vivus eò usque mansisset,
Pontificum inscitiam corrigere potuisset: sed per trigin-
ta sex annos erratus fuit, ubi pro novem intercalaribus

B

diebus,

diebus, duodecim intercalant, atque ita annirationem, tam brevi annorum spacio, triduo majorem perperam fecerant. Qui error Pontificalis si correctus non fuisset, hodie anniratio per centum triginta octo dies, veram rationem excederet, & Aequinoctium venum retrò è Martio, per Februarium, Ianuarium, Decembrem, Novembrem, usque in vigesimum tertium Octobris regressum fecisset, & ab hoc presenti anno non ita multò post in Septembrem, & reliquos præcedentes subinde menses retrocessurum esset. Oiterum falsibus & flagris castigandam Pontificum ruditatem.

At non fuit passus ita turpiter posteris imponi Augustissimus Cæsar Augustus, Iulij ut in Imperio, ita & in anni reformatione & reformationis conservatione, successorem legitimum sese arbitratus. Is enim quum hunc crassum & intolerandum errorem, anno Iuliano trigesimo octavo, ante Epocham Christianorum octavo, ante natum CHRISTUM Sexto, Cajo Martio Censorino, & Cajo Asinio Gallo Consulibus, deprehendisset, correctionem ita instituit, ut tres dies superfluos, trium intercalarium dierum omissione absorberet, ideoque post annum trigessimum septimum, quo duodecima vice intercalatum fuerat, quum saltem nona debuisset, duodecim annos, seu tria quadriennia sine intercalatione abire iussit. Quumque Pontifices obesioris naris videret, quam ut hanc rationem satis intelligerent: ne deinceps errori antea facile daretur, aut si fortè Pontificum *avidia* pro fecunditate suâ novum errorem esset paritura, facile agnosci, redargui & rejici posset; ideo omnem anni Iuliani, & intercalandi rationem, æreæ tabulæ ad æternam custodiam incisione mandavit, ut Macrobius disertè tradit.

tradit. Cui Augusti Cæsaris providentiæ meriti accēptum referimus, quod ab eo tempore huc usque anni Iuliani ratio sine turbatione mansit.

Quæ etsi ejusmodi est, ut vel hæc unica Cæsarem immortalem faciat: quumque, ut cum Iosepho Scaligero loquar, vetustas triumphos Cæsarianos aboleverit, Cæsar tamen de vetustate triumphet hæc Anni emendatione, qua longè inferiores sunt tres triumphus Cæsariani, tota Gallia, Aegyptus, Asia, denique Pompeius ipse devictus: Habuit tamen suos olim Reprehensores iniquissimos, quibus non ratione ulla, sed invidia, odio & amarulentia in Cæsarem motis, hæc Anni forma displicuit. Cujusmodi fuerunt Pompeiani, inter quos non potestremus fuit Marcus Cicero, cui fortasse gratiores fuissent Nonæ Pompeianæ veteris anni ineptissimi, quàm Nonæ Iuliæ correcti, ut videre est apud Plutarchum in Cicerone. Nec obscura affectus sui indicia ipse prodit epistola 1. lib. 16. ad Articum, ubi mirè stomachatur, quod Brutus literas suas Nonarum Iuliarum sub signatione concluderat, quum Quintiles appellare debuisset; nec Bruto (Iulii scilicet parricidæ) quicquam turpius esse censet, quàm Quintiles Nonas ab hoc à se sublato Iulio, Iulias denominare. Sed dudum emarcuit & evanuit illa affectibus superstructa reprehensio, incolumi adhuc servata Anni Iuliani ratione. Ideoque, nec eam refutare operæ est precium. Quin potius ad ea, quæ hodie in ea non ex Affectibus, sed veritate monstrante, desiderata sunt, descendo.

Quum enim Annus Solaris Tropicus Medius, quàm proximè sit 365 dierum, 5 horarum, 49', 16'', 17''' : Julius Cæsar verò 365 dies cum sex horis integris, non sanè ex ignorantia, sed quia aliàs in Politico usu intercalatio bisextilis commodè fieri non potuisset, assumpserit :

perit; atqve ita anni solaris Politici quantitatē 10 /, 43 //, 43 ///, ultra Astronomici medijs rationem, majorem fecerit: fit inde, ut 130 annis circiter, Iuliana ratio politica, solarem rationem naturalem, integro die excedat. Et quia hoc anno 1613, à constitutione Iulij annus agitur 1658: sequitur, & experientia testis est, 13. fere dies in anni Iuliani ratione abundare: à Concilio vero Niceno, quod anno Christiano 325, hodie verò ante annos 1288. celebratum fuit, decem quàm proximè dies. Atqve inde est, quòd *Æquinoctia & Solstitia* retro meant in Calendarijs. Nam quum tempore Iulij Cæsaris & Christi, *Æquinoctium* vernalis incidit in hodiernum 23. vel crastinum 24. Martij: tempore vero concilij Niceni in 20 vel 21: hodiè in 10 vel 11. ejusdem Mensis cadit, ut supra dictum; & si Mundi duratio parietur, secuturis seculis semper retrò gradietur, usquedum è Martio in Februarium prorepat.

Indè etiam est, quòd juxta Canones Episcoporum priscorum, quibus, ut olim Romæ Pontificibus, cura Factorū & Festorū delegata erat, præcipuè verò juxta cyclū decemnovalem, seu Canonem Aurei numeri, à Dionysio Exiguo, Abbate Romano introductum, & à Beda Presbytero continuatum, qui hodiè factus est plumbeus, Paschatis festum, quod juxta Concilij Niceni ordinationem à toto orbe Christiano communi consensu receptam, Dominicâ plenilunium primi mensis Iudaici sequente celebrandum quasi ex conventionem statuimus, non semper primo, sed sæpe secundò mense Iudaico præter illius sanctionis, imò & nostram ipsorum intentionem celebremus.

Etsi verò hæc *Æquinoctiorum* retrogradatio tardissima est, adeò ut unius hominis ætate sensibiliter vix progress

progressum faciat: Paschatis etiam celebratio, libertati Christianæ compedes injicere quoad tempus & diem certum non possit: Animadversum tamen est, collatis pluribus seculis non tantum Æquinoctia sensibilibus retro measse; sed & in uno eodemque seculo, uniusque hominis memoriâ, Pascha non semper primo Mense, quem ipsorum Christianorum institutum liberrimum sibi elegit, non arbitrium alienum obtrusit; sed sæpè secundo, præter voluntatem nostram, celebratum, non tantum nobismetipsis pro instituto nostro liberrimo non satis fecisse; sed & Turcis ac Iudæis calumniandi ansam præbuisse. Quam ob causam etiam hac de re, per plura jam secula, maximè verò intra 200. proximos annos aliquoties deliberationes fuerunt susceptæ. Rectène an secus, ego sanè nunc non disputabo. Saltem actus quosdam harum deliberationum historicè commemorabo.

In Concilio igitur Constantiensi, anno 1415, hæc ipsa quæstio, quomodo Anno Iuliano ultra justam rationem excrecenti remedium afferri posset, agitata fuit: sed nihil effectum, propter occupationes alias, quibus Patres illius concilij vacare oportebat, partim in deponendis ijs, qui tanquam Reges Apum de dignitate Papali certaverant; partim in inquirendis, examinandis, excruciantis & comburendis doctrinæ puræ confessoribus, & Antichristo Romano contradicentibus, Iohannem Husium præcipuè intelligo, & Hieronymum Pragensem.

Rursus in Concilio Basileensi anno 1432 denuò agitabatur hæc quæstio. Sed æquè frustra.

Paulò post, anno scilicet 1464, Sixtus I V. Pontifex, hujus rei causa, insignem Artificem Iohannem Molitorem Regiomontanum Francum (de quo populari suo

ſuo meritò Francorum gloriatur natio / Romam è Germania evocavit. Sed is non diu ibi moratus, Peſte ut perhibitum fuit, mortuus eſt. Quam Peſtem nonnulli Veneni propinationem, olim (neſcio an adhuc hodiè) Italia frequentiffimam, fortè non ſine augurio fuerunt interpretati.

Rurſus anno 1516. in concilio Lateranenſi quinto, eadem quaſtio in deliberationem venit, ubi Leo X. cū ad alios, tum verò maximè ad Germaniæ Principes, eorumq̃ve Academijs ſcripſit, & ab iis conſilium ſententiãq̃ve expetiit. Eo tempore, ſuaſum à multis fuit, ut Calendarium retineretur quale tunc eſſet, ſine ulla mutatione, ſicut Niceni Patres olim fecerant: id verò in rereã caveretur, ne ulterior Æquinoctiorum regressio deinceps accideret. Alij cenſuerunt, decem dies omit- tendos eſſe, ut ita Æquinoctium diei illi, quem tempore Nicenæ ſynodi tenuerat, reſtitueretur. Alij propè 13. dies abſolitos voluerunt, ut coincideret cum tempore Iulij & Chriſti in hodiernum 23. vel craſtinum 24. Martij. Quomodo verò hi 10 vel 13 dies mittendi eſſent, in diverſas ſententias irum fuit. Fuerunt, qui omnes ſive 13 ſive 10, ſimul & ſemel ex uno anno eodem- que Menſe extrudendos exiſtimarent. Fuerunt etiam, qui 40 annos, ſine intercalatione biſextilis prætere- rent, pro convenientia cum Niceno conſeſſu: vel 52, pro tempore Iulij & Chriſti, ut ita ſenſim dies illi abſorberentur, ad exemplum Auguſti Cæſaris, qui ſimili artificio anni exceſſum olim ſuſtulerat, ut antea meminimus. Sed neutra ſententiã placuit Patribus Concilij, eò quòd ex priore, ſi ſimul & ſemel ex uno anno, 10 vel 13. dies extruderentur, nimis ſubita mutatio anno inferretur: Poſterior vero, ſi 40 vel 52 anni ſine intercalatione tranſ-

transmittendi essent, tantum temporis spacium require-
ret, quantum vix pauci superstites attingere possent: un-
de metuendum esset, ne posteri intercalationem bisexti-
lis tot annis per suam memoriam non usurpata, vel
plane obliviscerentur, vel saltem negligenter, & ita no-
va: urbs anno Iuliano conciliarentur. Sed ulterius ni-
hil agi potui, cum propter nimiam sententiarum discre-
pantiam, tum vero maxime, quia impedimentum ubi
videbant, quod iusta & praecisa motus Solis ac Lunae ra-
tio nondum esset satis explorata. Quae res etiam per-
movit Paulum Episcopum Sempronensem, qui huius
controversiam iam praefuerat, ut scriberet ad praestanti-
ssimum ejus seculi Artificem Nicolaum Copernicum
Torunensem Borussum, cumque admoneret, de accura-
tione motus Solis ac Lunae observatione. Ex quo eti-
am tempore Copernicus Luminarium motibus obser-
vandis accuratius attendit, ut ipse scribit in praefatione
Revolutionum suarum ad Leonem X.

Toties ergo tunc intra, imò ultra centum annos, re-
frustrà deliberatà, Beatus Lutherus suo tempore in irre-
gularitatem Paschatis multus invenitur, & emendatio-
nem ejus exoptat, si legitime à summis Imperij Romani
capitibus suscipiatur & promulgetur. Sic enim scribit
Tomo septimo de Concilijs. Liceat mihi verba ejus Ger-
manica allegare:

Von den hülzernen Artickeln/(Niceni puta Concilij)
ist ein Klözlein bisher glimmend blicben, Nemlich vom Oster-
tage/ denselben Artickel halten wir doch/ Wie vns die Ma-
thematici vnd Astronomi oberwissen/ auch nicht ganz
recht / weil der gleich Tag oder Aequinoctium zu vnser Zeit
weit anders sthet/weder zu jener zeit/ vnd vnser Ostern oft zu
spat im jahre gehalten wird. Es ist vorzeiten slugs nach den
Apo.

Aposteln/der Zanck angangen vber dem Ostertage/vnd haben
sich die Bischoffe vber solcher geringer vnnötiger sachen zufe-
hert vnd zerbannet/das Sünde vnd schande ist. Etliche wol-
tens mit den Jüden gleich auff einen tag nach dem Geses Mo-
si/halten. Die andern/damit sie mit sich Jüdisch hielten/wol-
tens den Sontag darnach halten. Denn der Bischoff zu
Rom Victor, bey 180 Jahren vor diesem Concilio, so auch
Martyr worden/verbannete alle Bischoffe vnd Kirchen in A-
sia, das sie nicht gleich mit ihm die Ostern hielten. So zeitlich
haben die Römischen Bischoffe nach der Majestet vnd gewalt
gegriffen. Aber Irenæus Bischoff zu Lion in Franckreich/
der S. Johannis des Evangelisten Jünger einen Polycar-
pum, gekandt hatte/straffet ihn/vnd fület die sachen/das der
Victor die Kirchen zu frieden muste lassen. Darumb muste
sich Constantinus/Præses.videlicet Concilij Niceni/die-
ser sachen auch annehmen/vnd helfen schlichten im Conci-
lio, vnd schreib aus/das man das Osterfest solte in aller Welt
gleich halten. Jetzt dürfftes wol widerumb einer Refor-
mation, das der Calender corrigiret,vnd die Ostern zu rechte
gerückt würde. Aber das sol Niemand thun (Notetur
hoc) Denn die hohen Majestäten/Keyser vnd
Könige/ die müssen eintrechtiglich zugleich (notetur
& hoc. Non enim exclusi sunt ab Imperio status Prote-
stantes) Ein Gebot lassen in alle Welt ausgehen/auff wel-
che Zeit man solte hinfüro den Ostertag halten.

Et paulo post: Es were wol sein/auch leicht zuthun/
wo es die hohen Majestäten thun wolten/ Weil es bereit
alles sein abgeerbeitet ist durch die Astronomos,
vnd allein am ausschreiben oder Gebot feihlet.
Hactenus Lutherus, Qviamen propemodum de emen-
datione legitima desperavit, quandoquidem tunc ultra
centana

centum annos re toties deliberata nihil effectum vidit. Imò etsi Emendationem legitimam exoptavit: non tamen eam tantæ necessitatis existimavit, ut aliarum controversiarum Ecclesiasticarum decisioni præferretur. Sic enim ille: Es wäre wol sein / auch leicht zu thun / wo es die hohen Majestäten thun wolten / Weil es bereit alles sein abgeerbeitet ist durch die Astronomos, vñnd allein am ausschreiben oder Gebot feihlet.

In des halten wir das glimmende Holzelein vom Niceno Concilio, das der Oster Tag auff einem Sontag bleibet / Es schuckte dieweile die Zeit wie sie kan. Denn sie heissen es Festa mobilia, ich heisse sie Schuckel Fests / da jährlich der Oster Tag / mit seinen anhangenden Festen / sich endert / seso frühe / seso spat ins Jahr kompt / vñnd auff keinem gewissen Tage / wie die andern Feste / bleibet. Quibus annexa etiam reliqua videri ibi possunt, quum hic allegari non conveniat. Ex quibus hæc pauca maximè huc faciunt: Haben die Ostern nun bey vierzehnen hundert Jahren geschuckelt / so mögen sie fortan die vbrige kurze Zeit auch schuckeln / Weil doch Niemand dazu thun wil / vñnd die es gern wolten / nicht thun können. Et paulò post: Darumb ist das mein Rath (Nemlich / weil Niemand darzu thun wil /) man sol das Osterfest lassen gehen vñnd halten / wie es jetzt gehet vñnd gehalten wird / vñnd den alten Rock lassen flicken vñnd reißen / vñnd das Osterfest schuckeln hin vñnd her bis an den jüngsten Tag / oder bis es die Monarchen eintrechtlich vñnd zugleich endern / &c.

Ex quibus omnibus abundè patet, Beatorum Lutherum Calendarij reformationem non improbasse, sed

C

potius

potius, si legitimè suscipèretur, exoptasse: interim ta-
men, negligentibus iis, quorum curæ hoc proprium e-
rat, tanti non fecisse, ut aliorum magis necessariorum
reformationi anterulerit. Sed pergo.

Post Lutherum ergo anno 1552, in Concilio Tri-
dantino iterum agitata fuit hæc quæstio; ubi item, ut fic-
ri solet, alijs aliter visum fuit. Fuerunt enim, qui 10 di-
es uno quidem anno extirpandos censerent, sed non ex
uno Mense, verùm ex decem Mensibus, videlicet Ianua-
rio, Martio, Aprili, Majo, Iunio, Iulio, Augusto, Se-
prembri, Octobri, Decembri; ita ut uno anno in his sin-
gulis dies omitteretur: Februario verò parcendum,
quum aliàs reliquis minor sit; ut & Novembri, ne vel
Andreas Apostolus, qui ultimum diem Novembris for-
titus est, omisso hujus mensis trigésimo die, festo & cul-
tu, vel populus feriis privaretur.

Fuerunt alij, qui non 10 tantum, sed 13 vel 14 dies
omittendos judicarent, & quidem adhibitis annis duo-
bus. Quum enim septem sint Menses, qui triginta
unum dies habent; posse primo anno ultimos horum di-
es omitti, & altero iterum; ut hoc modo Aequinocti-
um vernum ad 25 Martij, quem non tam propter con-
ceptionem Christi eo die celebrari solitam, quamvis
falsò eò relâtam, quàm propter alia signa in Papatu
evulgata, huic termino destinabant, reduceretur: in-
quem etiam ferè Iulij tempore incidisse putarunt. Ve-
rùm neque in hoc Concilio certi quid decretum fuit,
ob impedimenta varia, maximè ea quæ habebant ex hæ-
resi, si Iovi Tarpeio placet, Lutheranorum. Interim
quod Imperatori Romano, Iulij & Augusti successori
demandare debebant, id Pontifici Romano perperam
commiserunt, ut nimirum iste, puta qui in scrinio pe-
toris

toris sui omnes nequiritias (scientias volebam dicere) /
habet, huic rei deinceps remedium quæreret.

Hujus ergo Concilii Tridentini decreta cum alia,
tum hoc etiam ex voto sibi, sed malè commissum, ex-
secuturus Gregorius XIII. Pontifex, opera sui Medi-
ci Lili Alefij, Calendarij emendationem instituit anno
1582, omitrendo 10 dies in illo ipso anno simul & semel,
inter 4 & 15 Octobris interceptos, ita ut post quartum
Octobris statim XV. numeraretur & appellaretur; fe-
ria tamen septimanæ non mutaretur: tamen si eam
nationes quædam, rei hujus non satis gnaris Magistris
persvasa inuicem mutaverint; sed mox tamen, ubi in-
alias intuita fuere, errore hoc satis crasso, & non in ar-
bitrium humanum, sed in naturam impingente cor-
recto. Sancivit idem Gregorius XIII, ut semper
deinceps spacio 400 annorum, tres dies Intercalares
omitterentur, & hac ratione Aequinoctium Vernum
ad 20 vel 21 Martij, ad exemplum Concilii Niceni re-
vocaretur, & Pascha deinceps primo mense Nisan, ce-
lebraretur.

Atque huic Gregorianæ sanctioni Status quidam
Imperii assenserunt: quidam ab ea dissenserunt. Qui
assenserunt, partim Romano Pontifici obedientiam
præstare voluerunt; partim commodiorem hanc ra-
tionem judicant. Etsi enim emendatio hæc anni
nondum satis exacta est, & sequentibus seculis de-
nuò à vero aberrare poterit: Primo tamen intuitu
videtur, ad naturalem rationem motus coeli pro-
piùs accedere, & opera in eadem laudabilis præ-
stata fuisse. Quandoquidem pro communi usu Ec-
clesiastico & Politico, in quibus summa præciso,
(quam ne ipsi Astronomi quidem hæcenus sustinuis-

se vulgò putantur, non requiritur, utcumque se habere
videtur. Neque etiam in Contractibus, Historiis &
aliis monumentis, re Domestica vel Rustica, vel alia,
incommoditatem aliquam parere posset, si in omnibus
locis Romani Imperii eodem tempore fuisset recepta: sic-
ut nec Iulii Cæsaris forma, quæ priori formæ anni Pom-
pilianæ multò quàm Gregoriana hæc Iulianæ dissimilior
fuit, Historiis & Contractibus apud sensu communi
præditos quicquam nocuit. Sed nolo operosè eo-
rum, qui hanc Reformationem acceptarunt, apologi-
am prolixam texere, quàm ipsi sibiipsum concinnaverint;
nosque quatenus proximè non Pontifici Romano, sed
Magistratui Politico iubenti paruerunt, faciliè accepta-
bimus. Quin potius Protestantium, ut appellantur
Statuum dissentium ab hac Gregoriana ordinatione pau-
cis ostendam.

Nam etsi modò dicta Protestantes Principes non
difficiliter agnoverint; cur tamen ab hac Reformatione
dissentierint, causas habuerint gravissimas, & non minùs
pias quàm prudentes.

Primò enim deterruit eos causa Effetrix Pontifex
Romanus, notorius ille Antichristus, qui ut supra ipsum
Deum, ita multò magis supra summum Imperii Romani
caput sese superbè extulit, & hoc etiam negocium sibi
arrogavit, vel saltem ab adulatoribus parasiticè oblatum
temerè in se suscepit. Ut ergo toti Mundo testarentur,
se à Pontificiis castris verè & seriò secessionem fecisse,
nec ad nutum Papæ amplius stare: formam hanc Papa
quidem imperiosè mandante non acceptarunt: tamen si
aliàs correctionem juxta Domini Lutheri votum legiti-
mè susceptam non invitati fuissent, & haud dubiè adhuc
sunt acceptaturi.

Quod

Quod si quis objiciat, Bonum oblatum non ex offerente, sed ex sua natura æstimandum esse; & proinde si forma hæc reprehensione careat, non ob Pontificem offerentem repudiandam, sed propter bonitatem suam recipiendam fuisse. Eum rogo, ut hanc primam rationem non seorsim solam consideret, sed cum iis, quæ sequuntur, conjungat, & formam hanc, antequam reliqua audierit, reprehensionis immunem non pronunciet. Sed neque hoc omitat, nobis quæ Babilonæ meretricis illicias suspectas esse, & virulentissimum angvem in viridante hac herba latere videri.

Quod si oggerat, Fortè olim Pontifices Romanos aliquos non satis benè erga nos animatos fuisse; hæc verò vel de Gregorio XIII, vel Clemente VIII, vel Leone XI, vel Paulo V, nihil tale compertum fuisse, & proinde meliora ab iis expectanda esse. Sciat, Antichristum semper esse Antichristum; & Meretricem Babilonicam nunquam futuram honestam Virginem; & sitim sanguinis Sanctorum DEI nunquam ei restitutum iri.

Quod verò hæcenus nec Gregorius XIII, nec Clemens VIII, nec Leo XI, nec Paulus V, qui adhuc sedet, facto ipso quicquam nobis nocuerunt: id certè non benevolentia Papali, sed præcipuè gratia divinæ, & secundum hanc, Magnatum vigilantia acceptum referendum. Sine qua si fuisset; dudum Papa ex ingenio nativo, hoc est Antichristiano, rem gestisset, & sub specioso beneficentia titulo, nos sub jugam obedientia Papalis reduxisset, vel etiam retraxisset. Nec est beneficium hoc correcti (& malè quidem correcti) Calendarii tantum, ut cum eo Libertatem Religionis, cujus iste jugulum maximè perit,

temere commutemus. Quis ita demens est, qui in
aquis non adeò magnoperè periclitans, hosti quem
sciret sibi constantissimè capitalem, allicienti sese
committeret, & non potius tutiores exitus quæreret?
Cur ergo nos Beliali Romano, hosti nostro juratissi-
mo, in non admodum periculoso errato, ex quo a-
liæ enatandi viæ tutiores apparent, temerè nos com-
mitteremus? An Diabolo breve & caducum aliquod
bonum promittenti, cum periculo salutis animæ, cui
insidiatur, fides habenda est? Minimè dices. Cur ergo
Papæ Diaboli vicario? Sed mitto hoc.

2. Præter causam Effectricem autem deterruit eos
Modus promulgandi. Quoniam Pontifex hanc e-
mendationis rationem non prius expendendam &
deliberandam Statibus Imperii omnibus, imò ne præ-
cipuis quidem omnibus proposuit: sed statim ad Co-
mitia, & quidem jam exeuntia, per Cardinalem
Madrucium Episcopum, Tridentinum, Augustam Vin-
delicorum ipsi Imperatori Rhodolpho II. per manda-
tum servandam & aliis injungendam præcepit.
Præcipimus (inquit Pontificia Bulla) & *Mandamus*.
Satis opinor pro imperio. Et mox: *Pro data nobis*
à Domino autoritate, hortamur (posset hoc ferri) & *ro-*
gamus (quomodo rogetur, mox sequetur) *charissi-*
imum, in CHRISTO Filium, nostrum Rhodolphum, Ro-
manorum Regem, Illustrem, in Imperatorem electum,
ceterosq; Reges ac Principes ac Respublicas (nunc explica-
bit suum rogare) *iisdemque, Mandamus ut &c. nostrum*
hoc Calendarium & ipsi suscipiant, & à cunctis sibi sub-
jectis religiosè suscipiendum, inviolateque observandum
curent. Et paulò post: *Nulli omnino hominum li-*
ceat

ceat banc paginam nostrorum præceptorum, mandatorum, statutorum, voluntatis, probationis, prohibitionis, sublationis, abolitionis, hortationis & rogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis DEI ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum. Estne hoc deliberandum proponere? Imò rigidissimè præcipere est, & ea quidem auctoritate, quam Pape nunquam concedemus, tantum abest ut ad bullas ejus obsequiosè stare teneamur.

3 Deterruit præterea Protestantes Principes finis Pontificis occultus, quem odorabantur, ut si renuerent, bellum in Germania exsuscitaret, dudum metrici isti Babylonicæ, sanguine Sanctorum inebriatæ desideratum; ob quod in bona causa eam formidare non voluerunt; sin acceptarent, hoc modo sensim ad obedientiam Pontificiam reducerentur, & hoc modo toti Mundo persuaderetur, Istud esse Ecclesiæ caput, cui omnes etiam Protestantes parere cogerentur, Jurisdictionem ejus vel inviti agnoscentes: atque ira Sellæ Romanæ Pontificiæ perforatæ sartura, jamque inclinatæ falcerum auctoritatis denuò suffigeretur. Quod sua morigeratione ratum facere non voluerunt. Meminerunt etiam quo Artificio Romani olim Aegyptios post unam atque alteram defectionem, ad obedientiam reduxerint, dum nimirum, quum antea veterem illis anni Aegyptiaci rationem in politico usu reliquissent, deinceps Iulianam, hoc est, Romanam observare, eos cogebant: ut hoc etiam argumento conformitatis Calendarii palam ostenderent, se Romano Imperio subjectos esse. Id quod factum est sub Diocletiano, Anno Christiano 295.

Quid



Quid si mysticus Diocletianus, Pontifex sc. Romanus. idem artificium uturpare voluisset?

✚ Adde quòd Emendatio hæc vel ideò Protestantibus suspecta fuit, quòd non ad CHRISTI tempora, unde nos meritò annorum seriem putamus: Sed ad Concilii Niceni statum directa fuit. Quo facto non tam illud Concilium Pontifex voluit stabilire, quàm per hoc aliorum quoque Conciliorum subsequutorum, nec per omnia probatorum decretis auctoritatem concessitam. Quod secretam scrinii pectoralis sui, omnis nequitia pœnu, vel ipse Pontifex prodidit. Quum enim Hugolinus Martellus Glandatensis Episcopus, ad ipsam CHRISTI potius quàm ad Concilii Niceni Epocham Calendarij reducendi auctor Pontifici non malus fuisset, respondit ei Pontifex his verbis: *Quòd ex ista opinione præjudicium fiat sacrosancto Concilio Niceno, quum nihil periculosius sit, hac tempestate, præsertim (intellige, quia verbum scripturæ, conciliorum decretis per DEI gratiam præfertur) quàm sanctissimorum Conciliorum auctoritatem convellere, &c.* ut ipse Hugolinus scripsit in Sacrorum temporum assertione.

✚ Nec prætereunda est Forma Emendationis, quam licet prima fronte utcunq̃ commodiorem, Babylo-nicæ meretricis adulatores clamoribus magnis promiserint, multi tamen docti Viri, voto nondum satisfacturam sagaciter odorati sunt. Quia de re superioribus Annis prodiit Michaelis Moestlini Tubingensis Mathematici solertissimi Iudicium, & nuper Clarissimi Chronologi Sethi Calvisii Elenchus doctissimus, tandem ex iniquis iudiciis, in quæ sinistro fato inciderrat, feliciter eluctatus. Uterq̃ autem Artifex insignis satis crassa errata hujus Reformationis ostendit, quæ

quæ nec Possevinus, nec Clavius, nec alii Iesui, a honestè negare possunt. Si ergo Calendarium omnino reformare placet: reformetur ita, ut verè reformatum non deformatum dici possit.

Neque verò prætereundus est contemptus Germanorum Principum, maximè Protestantium, quibuscum negotium hoc ante promulgationem communicatum non fuit, ut par erat. Quo nomine etiam inter alia Jeremias Constantinopolitanus Patriarcha, Gregorianam reformationem repudiavit, ut ipse ad Martinum Crusium scripsit, Antonii Possevini mendacia retundens, qui Jeremiam hunc Calendarium Gregorianum initio quidem repudiasse, postea verò melioribus rationibus inductum, recipiendi ejus per Ecclesias Græcas autorem fuisse, falsò in Germania sparserat. Potuit hoc negotium Pontifex communicare cum Pontificiis Principibus & eorum Mathematicis, utiqve potuisset etiam cum Protestantibus Imperii Principibus. Sed scilicet hæreticos nos (ipse Archihæreticus) tanti non æstimavit. Nec nos quoque Pontificis erga nos affectum tanti facimus, aut tantillum affectamus, aut participes illius negotii esse vel fuisse cupimus: quin potius dedecus omne ex non satis maturâ reformatione istâ, Romano Pontifici in solidum reservatum volumus: & ut scabiosa meretricis Babylonice pudenda, in doctrina Ecclesie in primis, tam verò etiam in Physicis, in Jure, in Politicis, in Logicis, in Lingvis Spiritus sancti, imò & in Grammatica earum linguarum, jamdudum fuerunt resecta; ita & in Astronomicis, Chronologicis & similibus eadem deinceps quoque retegenda, & toti mundo spectatum ac detestatum exponenda censemus.

D

Quod

Quod si Impulsivas hujus emendationis intuebi-
mur, quæ sunt Æquinoctiorum sedes fixa, & Pascharis
ex decreto Niceni Concilij celebratio: neutram ea-
rum tanti inveniemus, ut cum Libertate sint commu-
randa: tametsi correctio utriusqve tuta, & Liberta-
ti non insidiosa, facile sit optanda. Si tantoperè
Pontificis cor astuat studio: errores abrogandi: abro-
get porius prius notoriè impia & verbo DEI merito-
qve CHRISTI adversa: tollat Missam: exstinguat
purgatorium: honorem restituat conjugio: CHRIS-
TIO gratiam & meritum solidum ascribat: cumque
solum Ecclesiæ caput agnoscat: & Papa esse desinat.
Sed censen tu, hypocritam testucam ex oculò alieno e-
jicientem, trabe ingenti in proprio relicta, hoc factu-
rum? Longè opinor falleris. At necessaria tamen hæc
essent maximè; illa minus sunt.

Nolo jam aliquorum, qui quidem non infimi Ar-
tifices haberi volèbant, Ignorantiam allegare, quæ et-
si à Pontificiis nobis objiciatur: Illa tamen, causa dis-
sentiendi Principibus Protestantibus minimè fuit. No-
lo etiam ineptias plebeorum perstringere, puta Tem-
pora Sationum, Mæsis, Vindemiæ, &c. turbatum, di-
emqve adventus Ciconiæ, Hirundinis, cantus Cuculi,
&c. interversum iri, & quæ fuerunt hujus farinae plures.
Has enim ad rem nihil facere: quivis videt. Sufficiat
præcipuas & veras aliquas causas protulisse, ob quas ma-
luerunt nostri: veterem Iulianam formam tum temporis
retinere, quam recepta alia, eaqve non parum adhuc vi-
riosa, Libertatem amittere: minimè interim damnan-
tes Ecclesias orthodoxas, quæ non in obsequium Ponti-
ficis; sed in honorem Magistratus imperantis, hanc Ca-
lendarii reformationem acceptarunt, hodieque bonâ
cum.

cum conscientia amplectuntur. Quòd si Iulii & Augusti successore, hoc est, Cesare auctore, legitime deinceps hac de re deliberatio susciperetur; dubium nullum est, laudatissimos Germaniæ Principes rem prudenter expensuros, & suis quoque consiliis promoturos, vel meliorem rationem ostensuros esse.

Sed finem facio, & DEUM oro, ut dissidia Ecclesiarum tollat, præcipuè autem sub Magistratu nostro Clementissimo libertate exercendi Religionem Christianam, usque ad adventum, Filii sui perpetuò nos gaudere sinat; docentium ac discipulorum laboribus benedicat; pacem, sanitatem, & rerum necessariorum copiam benignè largiatur; & morbo hæctenus languens membrum, Collegii nostri charissimū, TAUBMANUM, sanitati pristinæ restituat, bonoq; publico diu incolu-me conservet: tandemq; nos omnes vasa suæ gratiæ & misericordiæ per Christum Redemptorem unicum faciat.

Amen.



cum rationem ostendat etc.
 honores & in quibus conatus promeritos, vel me-
 ritissimos Germanice Principes rem pudentes ex-
 hac parte delibere se suspicent, d' abiam nullam est,
 si necesse est, non est, Galare more, legimus deinceps
 cum rationem ostendat etc.

Amen.
 & ceterum unicum faciat
 gratia & misericordie per Christum
 me conseruet tandem; nos omnes vult
 cari gratias testatur, bonoq; publico in iocolu-
 Collegru nostris hactenus TABMANNI, tant
 gatur; & modo hactenus tangens membrum
 tem, & ceterum ecclesiarum copiam benigna
 ditionum laboribus benedicat; pacem, sanita-
 tibus suscipere nos gaudere hinc; docentiam ac
 di Religionem Christianam, utque ad aduentum
 giffatu nostro Clementissimo libertate exercen-
 dia Ecclesiarum tollat, precipue autem sub Ma-
 sed faciem facio, & DEUM oro, ut disti-



05 A 439

ULB Halle

3

004 208 889



kom





DISSERTATIO
DE CALENDARIII
EMENDATIONE

HABITA
IN PUBLICA RENUNCIATIONE
XXXI MAGISTRORUM
Philosophia, d. 23. Martij

ANNO CHRISTIANO

M. DC. XIII.

M. ERASMO SCHMIDT
Græco Professore V Vitte-
bergæ.

